



Ive DEI bonitatem, sive populi subjectionem, sive eventus excellentiam quoque perpendis, in hac salutaris Ephraim conversione, tanta & hac est, & ista & illa est, ut vel ignavissimum & huius mundi studiosissimum quemque ad accuratam sui meditationem & disquisitionem, imò & imitationem, excitare facile posse videatur. Bonitas DEI ineffabilis exerit se per Vocationem divinam. Cum enim Ephraim per peccata propria abalienaretur à DEO, & tanquam fera bestia vagaretur in silvis & cupiditatibus huius mundi, DEUS nolens mortem impii, sed ut convertatur à via sua & vivat Ezech. 33, 11. revocavit eum per predicationem Verbi mediante Jeremia Propheta; ac ne effrenis obduresceret in impietate sua insequitur eum minis, donec pateretur sibi frantum injici & se correctioni divinae subjici. Denique qui se patienter & placido animo subjecerit DEO, & pertinaciter non recusaverit paternam ejus castigationem, promittit se eum ex servitute & captivitate alieni liberaturum, & in pristinam libertatem perducturum, Jer. 30, 8. Hae Vocationis divinae Gratia, quae omnes homines nullo excepto, serio & intentione divina vocantur, ut omnes ad agnitionem veritatis veniant, pacem & Vitam habeant, non arridet teneris ac delicatis nonnullorum auribus, quo errore tam inscitiam, quam iudicii defectum, vel si cum nonnullo turbulento rabula loqui liceat, suam ipsorum asiniam simplicitatem produnt. Ab excutiendis eorum deliriis super sedebam: quando major eorum pars quid garriat, non intelligit. Nam quod de Vocatione externa inefficaci obtendunt, carcinoma commentitium est: & quod bonam eorum pacem dixerim, in re minuta hallucinantur. Quia actus Vocationis Effectivè spectatus semper secum fert sufficientem & efficacem ἐνεργειαν, & verbum DEI in isto Vocationis actu oblatum, suam habet actualem δύναμιν homines à tenebris in lucem perducendi, cum non sit vacuum Esa. 55, 11. sed vivum & efficax, & τομώτερον ἢ ἅπαν μάχαραν &c. Ebr. 4, 12. Objectivè tamen, actus vocationis in se & per se sufficientissimus & efficacissimus ex affectata hominum impiorum malitia & ferocissima malevolorum repugnantia, irritus redditur & frustra applicari laboratur. Quod cum